Scilicet ubi Abas pater Acrisii ipse regnavit. Et animam Pytagoras dicit habuisse illic, quia recognovit scutum eius.

Haesit in adverso gravis hasta minoris Atridae.
Cognovi clipeum, laevae gestamina nostrae,
Nuper Abanteis in templo Iunonis in Argis.
Omnia mutantur, nihil interit: errat et illinc
Huc venit, hinc illuc, et quoslibet occupat artus
Spiritus, eque feris humana in corpora transit,
Inque feras noster, nec tempore deperit ullo.
Utque novis facilis signatur cera figuris,
Nec manet ut fuerat, nec formas servat easdem,
Sed tamen ipsa eadem est, animam sic semper eandem
Esse, sed in varias doceo migrare figuras.
Ergo ne pietas sit victa cupidine ventris,
Parcite, vaticinor, cognatas caede nefanda
Exturbare animas, ne sanguine sanguis alatur.
Et quoniam magno feror aequore plenaque ventis
Vela dedi, nihil est toto quod perstet in orbe.
Cuncta fluunt, omnisque vagans formatur imago.
Ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu,
Non secus ac flumen; neque enim consistere flumen
Nec levis hora potest, sed ut unda impellitur unda,
Urgeturque prior veniens urgetque priorem,
Tempora sic fugiunt pariter pariterque sequuntur,
Et nova sunt semper; nam quod fuit ante relictum est,
Fitque quod haut fuerat, momentaque cuncta novantur.
Cernis et emensas in lucem tendere noctes,
Et iubar hoc nitidum nigrae succedere nocti.
Nec color est idem caelo, cum lassa quiete
Cuncta iacent media, cumque albo Lucifer exit
Clarus equo, rursusque alius, cum praevia luci
Tradendum Phoebo Pallantias inficit orbem.
Ipse dei clipeus, terra cum tollitur ima,
Mane rubet, terraque rubet cum conditur ima;
Candidus in summo est, melior natura quod illic
Aetheris est, terraeque procul contagia fugit.
Nec par aut eadem nocturnae forma Dianae
Esse potest umquam, semperque hodierna sequente,
Si crescit, minor est, maior si contrahit orbem.
Quid, non in species succedere quattuor annum
Aspicis, aetatis peragentem imitamina nostrae?
Nam tener et lactens puerique simillimus aevo
Vere novo est; tunc herba recens et roboris expers
Turget et insolida est, et spe delectat agrestes.
Omnia tunc florent, florumque coloribus almus
Ridet ager, neque adhuc virtus in frondibus ulla est.
Transit in aestatem post ver robustior annus,
Fitque valens iuvenis; nec enim robustior aetas